



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 2. Quas personas obliget.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

fere nulla est, vel propter sigillum, vel quia, si prudens sit confessor, per ipsammet confessionem legitimam quodammodo tollitur. Ac denique: quia, licet hoc existimetur aliquale detrimentum, comparatione fructus quasi nihil est. Vel denique esset propter difficultatem; & hoc quidem licet ostendat, tale præceptum esse arduum, & difficile, non tamen impossibile: quia sepe Ecclesia præcipit res magis difficiles, si necessariz sint: vel valde vtilis; in hoc autem præcepto semper esset magna utilitas, qua posset difficultas ipsa compensari. Tandem, si hæ rationes, vel similes valide essent, fere haberent locum in præcepto annuæ confessionis, ratione cuius sepius obligatur homo ad confessionem, quam solo iure diuino obligatur. Itaque non ideo præceptum hoc la- tum est à Christo: quia Ecclesia illud fere non potu- isset per generalem potestatem ab ipso datam: sed quia conuenientius fuit, ut ipse per se daret, propter alias rationes superius adductas.

## SECTIO II.

## Quas personas obliget hoc diuinum præceptum.

<sup>1</sup> *Necessariam esse materiã ut hoc præceptum obliget. Infantes ante usum rationis non obligari.*  
Primum ac per se notum principium huius materie est, ut hoc præceptum obliget, supponendam esse in persona materiam huius sacramenti: quia alias neque ipsius sacramenti erit capax, ne dū obligationis. Vnde fit, infantes ante usum rationis non esse capaces huius obligationis, nõ solum quia non sunt capaces præcepti, sed etiam quia non habent peccatum actuale, quod est materia huius sacramenti, & eadem ratione, si quis esset adultus innocens; vt Beata Virgo non obligaretur hoc præcepto.

<sup>2</sup> *Infideles non baptizatos non obligari. Quorum dñi sententia. Scot. Adr. Rich. Angel. Syluest. Resoluitur.*  
Secundo eadem ratione infertur, infideles non baptizatos quantumuis peccatores non obligari hoc præcepto; quantumuis multi, & graues Theologi in hoc sine causa lapsi sint, vt Scotus dist. 16. quæstion. 3. art. 1. qui inde colligit præceptum confessionis esse diuinum: quia obligat infideles, in quos Ecclesia nõ habet potestatem, quæ ratio placuit etiam Adriano dist. q. vlt. de confessione. Et eandem sententiam tenet Richard. distinct. 17. q. 4. art. 2. & Angelus Confessio, 2. s. 2. Syluester Confessio, 2. s. 5. Quorum fundamentum est: quia præceptum diuinum obligat omnes, vt de præcepto Eucharistiz, quod infideles etiam obligat. Sed, vt dixi: contraria sententia tam euidenter sequitur ex principio posito, vt hæc mihi probabilis videatur: quia peccata commissa ante baptismum non sunt materia huius sacramenti, vt supra probaui: ergo infidelis non solum non tenetur, sed neque potest illa sacramentaliter confiteri, neque ante, neque post baptismum susceptum: ergo nõ obligantur infideles hoc præcepto: quia non possunt obligari ad confitenda illa peccata, quæ committunt post baptismum susceptum, quæ forte non erunt. Confirmatur, & explicatur: quia confessio non est his infidelibus necessaria ad salutem: ergo. Patet consequentia: quia confessio non præcipitur iure diuino, nisi quatenus est necessaria. Antecedens verò patet: quia, si isti infideles baptizentur, & postea nullum peccatum mortale committant, saluabuntur sine confessione; vnde hoc sacramentum dicitur secunda tabula post naufragium: quia illis solis est necessariũ, qui post baptismum mortaliter peccauerunt. Vnde etiam fit, si infidelis ante baptismum per contritionem iustificetur, illam contritionem non includere votum confessionis, sed baptismi: quia solus baptismus est necessarius ex vi talis status: per illum enim plene delentur omnia peccata ante commissa sine vilo ordine ad confessionem: ergo euidenter est hos infideles non obligari præcepto.

pto confessionis. Quam sententiam bene docuit Soto distinct. 18. quæst. 1. artic. 2. Medin. tract. 2. q. 7. Maior. distinct. 17. q. 1. Almain. quæstion. 1. artic. 2. Neque obstat fundamentum contrariæ sententiæ, præcepta enim diuina obligant omnes, qui sunt capaces talis obligationis, vel in quibus est materia circa quam versatur præceptum, alias hoc præceptum etiam obligaret innocentes, quod est aperte falsum.

Vnde colligitur aperta differentia inter præceptum Eucharistiz, & confessionis; quantumuis Soto eodem modo de vtroque loquatur, & neget præceptum Eucharistiz obligare infideles, qui nondum per baptismum religionem Christianam professi sunt, sicut præcepta (inquit) alicuius religionis non obligant aliquem, donec illam religionem sit professus, etiam prius habeat votum, seu obligationem ingrediendi talem religionem. Et confirmari potest: quia ante baptismum non est aliquis capax Eucharistiz: ergo neque obligationis suscipiendi illam. Nihilominus hæc sententia mihi non admodum probatur, sed nõ est huius loci examinare illam, sed solum explicare apertam differentiam inter Eucharistiam, & confessionem; scilicet, quod infidelis est capax obligationis præcepti Eucharistiz, non vero confessionis. Patet: quia ex parte subiecti non requiritur materia peccati ad præceptum Eucharistiz: nam illud per se, & propter se obligat hominem, etiam si nullum peccatum habeat; & ideo ex hac parte non repugnat, quod obliget infideles, alias vero iurisdicção Christi ferentis tale præceptum ad omnes se extendit: in quo differt hoc præceptum à particularibus præceptis humanis alicuius religionis; & ideo exemplum illud non est ad rem. Verba etiam Christi, quibus hoc dedit præceptum; generalia sunt, & ad omnes, etiam infideles dicta, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. Ac denique, quantumuis ante baptismum non possit infidelis recipere Eucharistiam, tamen recepto baptismi tenetur illam suscipere, etiam si ultra non peccet, & ideo etiam ante baptismum obligari potuit ad ipsum baptismum suscipiendum propter Eucharistiam, ita vt duplici ratione ad baptismum obligetur, scilicet & per se, & propter aliud, & ita potuit recte vtroque præcepto obligari. At vero præceptum confessionis non per se, & absolute obligat, sed supposita materia necessaria talis sacramenti; hæc autem esse non potest in infideli antequam baptizetur, & ideo non est capax talis obligationis.

<sup>3</sup> *Hæc præceptum illud non obligat. Non obligari. Non obligari. Non obligari.*  
Tertio ex dictis colligitur, hoc præceptum obligare omnes illas personas, quæ post baptismum mortaliter peccauerunt, etiam hæreticos, Apostatas, &c. & pueros cuiuscunque ætatis, dummodo capaces sine peccati mortalis, ad quod, vt supra dixi, non potest certa ætas designari, sed viri prudentis iudicio opus est. Tota hæc conclusio est certa absque controuersia inter Theologos, & colligitur aperte ex Concilio Tridentino supra. Et ratio est: quia mortale peccatum post baptismum commissum est materia necessaria huius sacramenti, vt supra ostendi. Itæ ipsum sacramentum est medium necessarium ad tollendum tale peccatum, vt supra etiam probatum est: quia iam tale peccatum non potest tolli per baptismum. Intelligendum autem est hoc de peccato mortali, quod nõquam fuit directè subiectum clauibus nam, si semel rite subiiciatur, illud, per se loquendo, sufficit, neque ex vi iuris diuini, de quo agimus, obligabitur aliquis ad confitendum, nisi iterum mortaliter peccet.

<sup>4</sup> *Non obligari. Non obligari. Non obligari.*  
Quarto addendum est, solas illas personas obligari hoc præcepto, quæ post baptismum mortaliter peccauerunt: itaque, qui sola venialia committit, nõ obligatur. Quæ est etiam communis sententia Theologorum. Et ratio constat ex supra tractatis: quia venialia non sunt materia necessaria, & hoc præceptum non obligat, nisi eum, qui talem materiam habet:

bet: quia hoc sacramentum non est medium neces-  
sarium ad illa peccata tollenda, quæ omnia supra  
demonstravi, & ex communi usu, & consensu tori-  
us Ecclesiæ constât: & non obscure indicantur in  
Trident. ses. 14. c. 5. & canon. 7. Occurrebat vero hoc  
loco dubium, an, qui habet dubiam conscientiam  
peccati mortalis, obligetur hoc præcepto diuino.  
Sed hoc dubium expediendum est ex principiis po-  
sitis disputatione de Integritate, ubi tractavi, an ne-  
cessarium sit ad integritatem confessionis, confite-  
ri dubiū peccati mortalis: eo enim modo, quo quis  
obligatur ad confitendum hoc dubium propter in-  
tegritatem, obligabitur etiam ad confitendum tale  
dubium, etiam si nullum aliud peccatum mortale  
habeat: est enim eadem ratio, illa enim materia, quæ  
est necessaria ut pars confessionis, si cum alia con-  
iuncta sit, erit etiam per se necessaria, si sola addit;  
quocirca præter ibi dicta, nihil hic occurrit adden-  
dum.

SECTIO III.

Quo tempore obliget hoc præceptum præcise, ut  
diuinum est.

**D**istinguedus est, ut sæpe tractavi, duplex mo-  
dus, quo potest homo obligari ad actum, qui  
sub aliquod præceptum affirmatiuum cadit. Primus  
est per se ex vi talis præcepti in propria natura, &  
virtute considerati. Secundus est per accidens, seu  
propter aliquid, seu ratione alterius virtutis. Dicam  
prius de priori modo; deinde de secundo.

**P**rimū ergo statuamus ut certum, non teneri  
hominem qui mortaliter peccat, statim confiteri  
peccatum, etiam si commodissime possit. Quamquā  
contrarium docuerunt Guilhelmus Paris. lib. de  
Sacramentis, tit. de penitentia, & refertur Reineri-  
us 1. part. Summ. verb. Confessio, cap. 5. tenet Ange-  
lus verb. Confessio, i. num. 3. & Alenſis. 4. part. q. 77.  
memb. 4. art. 2. Bonauentura in 4. d. 17. art. 4. qu. 2.  
qui maxime religiosi imponit hanc obligationem:  
quia habent semper optimam opportunitatem sta-  
tim confitendi. Refertur etiam pro hac sententia  
graves Doctores Canonista à Couarruua in c. Alma  
mater, p. 1. §. 1. n. 6. Sed nihilominus hæc sententia ne-  
que est vera, neque, ut ego existimo, admodum p-  
babilis, & ideo omnes alii Theologi illi contradi-  
cunt, quos statim referam. Quia tãta obligatio im-  
ponenda non est, sine sufficienti, & manifesto f-  
damento; hæc vero sententia nullum habet. Præ-  
sertim, quia natura præcepti affirmatiui nõ est sta-  
tim obligare, sed determinatis, seu necessariis tem-  
poribus. Ostendimus etiam supra non obligari ho-  
minem statim ad contritionem: multo ergo minus  
ad confessionem. Denique, cum Ecclesiã deter-  
minauerit tempus annuæ confessionis, satis certe  
indicauit, non esse de iure diuino statim confi-  
teri.

**S**ecundo certum est, saltē in articulo mortis obli-  
gare hoc præceptum, si ante impletum nõ sit. Con-  
ueniunt omnes Theologi, & est evidens ex dictis:  
tum quia hoc præceptum affirmatiuum obligare  
debet saltem in extremo periculo, seu potius arti-  
culo necessitatis, qualis maxime est articulus mor-  
tis: tum etiam, quia hoc præceptum impleri debet  
in hac vita: ergo ante mortem: ergo, ut minimū, in  
articulo mortis. Quis autem sit articulus mortis, &  
quo modo eadem ratio sit de periculo mortis, su-  
pra dictum est. Et hinc inferitur, si quis habeat copiam  
confessoris, & sit in eo statim, in quo, si nunc nõ con-  
fiteatur probabiliter timeat fore, ut ante mortem  
non possit habere copiam confessoris, ut accidere  
potest in India, vel aliqua captiuitate, in tali casu te-  
neri ad cõfiteendum statim, etiam si extra articulum

**A** mortis sit. Quem casum ponunt omnes Doctores  
statim citandi, D. Thomas, Paludanus, Adrianus q. 3. de Confessione; & in re ipsa, ac moraliter loquē-  
do, non est diuersus à periculo mortis: ideo enim  
tunc teneretur præuenire: quia alias exponitur pe-  
riculo moriendi sine confessione, ut in simili dice-  
mus latius disput. sequi. Hic vero tractari cõsequen-  
ter posset, qua ratione, aut modo excusari posset  
homo ab hac obligatione in eo articulo. Sed com-  
modius hoc dicam disput. sequenti.

**V**num vero hic obiter obseruandum est occasio-  
ne huius obligationis confitendi in articulo mor-  
tis, iure positiuo præceptum esse medicis, ut cum  
vocantur ad curandos ægros, priusquam curati-  
onem corporis incipiant, eos moneant ad confes-  
sionem faciendam. Ita habetur in cap. Cum infirmi-  
tas, de Pœnitent. & remiss. Et quoniam hæc lex cõ-  
suetudine abrogata erat, ideo Pius V. motu proprio  
anno 1566. qui incipit, Super gregem, illam renouauit  
addendo, ne medici ultra tertium diem visitent æ-  
grotum, nisi de illius confessione sibi constet per fi-  
dem confessoris in scriptis datam. Addit etiam, ut  
ante gradum Doctoratus exigatur ab illis iuramen-  
tum hanc consuetudinem seruandi, quod ita sit. In  
qua lege primo notandum est, de qua infirmitate  
sit intelligenda: nam Syluester verbo, Medicus, quest.  
3. dicit, non tantum in morbis periculosis, sed abso-  
lute in omni ægritudine esse seruandum, quod cum

**A**rchidiacono colligit ex ratione legis, scilicet, ne  
infirmi, cum de confessione facienda admonentur,  
existiment se iã esse in periculo, & tristitia affician-  
tur. Propter quam rationem videtur lex voluisse, ut  
absolūtē in omni morbo talis admonitio fieret. Ni-  
hilominus Nauarrus capit. 25. numer. 61. sequens  
Angelum, & Summam Rosel. quos citat, dicit hanc  
legem solum obligare in morbo periculoso, debere  
tamen seruari statim in principio morbi non expe-  
ctato periculo, & hoc modo satisfieri intentioni le-  
gis: nam in leuioribus morbis ridiculum videri po-  
test statim monere ad confessionem. Caietanus ve-  
rò in Summa veb. Medicus, media quadam via in-  
cedit: quia, si morbus (inquit) talis est, ob quem me-  
rito decumbit ægrotus, obligat lex, non verò in ali-  
is. Et hæc sententia bene explicata videtur satis cõ-  
sona intentioni legis, & fere nihil differre à præce-  
dente. Itaque existimo obligare hanc legem in mor-  
bo graui, vel qui prudenter iudicatur à medico in  
principio periculum morale esse ne graue fiat: tunc  
enim optimè procedit ratio legis, & quasi ex natura  
rei videtur hoc requiri, ut ratio facta probat.

**S**ecundo est notandum, hos auctores docere, sa-  
tisfacere medicum huic obligationi admonendo,  
& inducendo infirmum, non tamen teneri illum  
deserere, si confiteri nolit: quia hoc videtur repu-  
gnare charitati, quod quidem iuxta antiquum ius  
non habet difficultatem. Tamen Pius V. videtur  
amplius præcipere, & hanc imponere veluti iustam  
penam ei, qui in illo articulo confiteri non vult.  
Quia tamē videtur hæc lex sic exposita valde rigida  
(hoc enim modo cõstituitur proximus in graui pe-  
riculo corporis & animæ) ideo videtur lenienda:  
nam, si nõ imminet probabile periculum, potest &  
forte debet medicus abstinere à curatione eius, si  
nolit hanc legē obseruare; si tamen probabile mor-  
tis periculum sit, si illum deserat, & tamen æger per-  
tinax sit, non credo teneri, nec debere medicum il-  
lum deserere: quia non credo hanc fuisse mentē Pa-  
pæ, neque legem cum hoc rigore receptã esse. Ter-  
tio addit Caietan. & alii, satisfacere medicum, si ad-  
moneat infirmū, vel per se, vel per eos, qui eius cu-  
ram gerunt, si sint fide digni, & timorati: & hæc cre-  
do esse communem consuetudinem, iuxta quam  
iam non seruatur, ut medicus exigat fidem confes-  
soris in scriptis. Vnde iuxta hanc consuetudinem,  
erit interpretandum iuramentum seruandi hanc  
legem,

D Tho.  
Palud.  
Adr.

Vnde rena-  
antur me-  
dici admo-  
nere infir-  
mos ut con-  
fiteantur.  
Pius V.

De qua in-  
firmi itaq;  
intelligen-  
dum sit.  
Sylu.

Sylu. raiici-  
tar.

Satisfacere  
medicum  
admonendo  
infirmum.

Trident.

Prima af-  
ferio.  
Neminem  
obligari sta-  
tim post pec-  
catum con-  
fiteri.  
Guilhel.  
Reiner.  
Alenſ.  
Sylvan.

Secunda af-  
ferio.  
Saltem in  
articulo  
mortis obli-  
gari.